

expectantes manent; vel quia fenestris januisque ædium congregantes spectant, excommunicationis, et alias pœnas contra spectatores latas non incurrant, Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxxix, n. 3; Mendo, in *Appendice de Duello*, n. 312. Ratio est, quia constitutio Pontificia loquitur de spectantibus ex proposito, sive data opera, et quasi approbantibus duellum.

47. *Quis possit absolvere ab excommunicatione ob duellum incursa?* — Quæritur VII. Quis possit absolvere ab excommunicatione ob duellum incursa? R. Quamvis excommunicatio ob duellum incursa per constitutionem Clementis VIII sit reservata summo Pontifici tamen ab illa, vi privilegiorum absolvere possunt mendicantes, tam duellantes, quam fautores et spectatores eorum, ut bene observant Layman, lib. III, tr. III, p. 3, cap. v, n. 4; Pirhing, h. t. n. 3, et alii, eo quod etiam a censuris Sedi Apostolicæ reservatis absolvere valeant.

Qui plura de duellis desiderat, legat Pignatelli, tom. IX, consult. 88, ubi materiam de duellis practice et theoretice peregre tractat. (ADNOTATIO XXV.)

TITULUS XV.

De sagittariis.

1. *Sagittariorum, et balistariorum nomine qui veniant.* — Quæritur quid ad propositum intelligatur per sagittarios, et quid statuatur de illis per jura? Resp. I. Sagittariorum et balistariorum nomine veniunt, qui vel in jaculandis sagittis, aut saxis ex arcibus et balistris (quarum usus olim frequens erat) vel (ut hodie usus est) in emittendis glandibus, et majoris ponderis globis plumbeis, et tormentis bellicis peritiam habent, ut cum aliis notat Gonzalez, in c. un. h. t. n. 3.

2. *Qualiter et contra quos prohibita sit ars et exercitium sagittariorum, et balistariorum.* — Resp. II. Quamvis c. un. h. t. artem sagittariorum, seu balistariorum contra catholicos exercere universaliter videatur prohibitum; tamen probabilius est, vel prohiberi hic dumtaxat artem hanc exercere pro infidelibus aut hæreticis contra catholicos conformiter c. *Ita quorundam*, 6, etc. Quod

olim, 12, de *Judæis*; et *Extravag.* I, eod. vel prohiberi eandem etiam pro catholicis contra catholicos in bello injusto, uti post Glossam, in cit. c. un. h. t. *Artem*, ibidem bene docent Barbosa, Honorius, et alii: Ex illa ratione, quod nil referat ad justitiam, utrum justum bellum contra quemcunque gerens, aperte pugnet, an ex insidiis, can. *Dominus*, 2. cau. 23, quæst. 2, ibi: Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat, nihil ad justitiam refert. Dummodo sagittari, vel balistarii in exercitu non adhibeant incantationes, superstitiones vel alias diabolicas artes ad certius, vel fortius, aut longius nocendum hosti, etc. quod præcipue prohibere putat Barbosa, h. t. n. 2.

TITULUS XVI.

De adulteriis, et stupro

1. *Ratio ordinis.* — Post crimina quinto præcepto Decalogi adversa, diversa videlicet homicidia, et alia, quibus vita, et corpus proximi læditur, compiler canonum recto ordine pergit ad delicta sexto præcepto raria, quibus pudicitia læditur. Et quamvis rubrica de duobus solummodo speciebus, adulterio videlicet, et stupro sonet; tamen occasione eorundem merito etiam de aliis speciebus delictorum carnis, fornicatione videlicet, incestu, sacrilegio, raptu, et vitio contra naturam, seu sodomia hic agitur.

§ I.

DE ADULTERIIS.

2. *Adulterium improprie et proprie dictum, quid?* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit adulterium? Resp. I. Quamvis adulterium large loquendo sit omnis copula extra statum conjugii habita, can. *Nemo*, 5, cau. 32, q. 4, ac propterea ibidem, sicut et a lege Julia adulterium et stuprum promiscue sumantur, l. *Inter stuprum*, 105. ff. de *Verb. signif.* cum Concordantiis. Tamen proprie et ad propositum loquendo adulterium est alieni thori violatio, ut dicitur can. *Lex illa*, 2, cau. 36, q. 1, seu est carnis ad alteram

§ I. DE ADULTERIIS.

personam vi conjugii non suam accessio, et conjunctio, qua fides et thorus conjugalis violatur.

3. *Aliud est simplex.* — Resp. II. Adulterium proprie dictum dividitur in simplex, duplex. Simplex est, et dicitur, non solum, quando solutus cum conjugata, sed etiam quando conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, can. *Cum ergo*, post can. *Illæ*, 14, cau. 32, q. 5, et can. *Puto*, 16, ead. cau. et q. can. *Non mœchaberis*, cau. 32, q. 6. Ratio est, quia vir æque ac uxor ad fidem conjugalem astringitur can. *Nemo*, cau. 32, q. 4, indeque vir meretrici adhærens non minus fidem et thorum conjugalem violat, ac uxor peccans cum non suo; quamvis jus civile aliud velit, et quoad pœnas illius etiamnum servandum sit, per dicenda infra n. 18.

4. *Aliud duplex.* — Adulterium duplex, seu duplicatum, et bilaterale est, quando maritus cum uxore aliena carnaliter miscetur: quod germanice ein doppelter Ehebruch vocatur, sicuti simplex ein einfacher.

5. *Copula carnalis cum alterius sponsa de presenti adulterium est.* — Resp. III. Adulterium quoque est commixtio carnalis viri cum sponsa aliena de presenti, non item cum sponsa de futuro. Prima pars communis est et certa ob rationem, quod sponsa de presenti etiam ante matrimonii consummationem est vera uxor; cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat, l. *Nuptias*, 30, ff. de *Reg. jur.*

6. *Non item cum sponsa de futuro.* — Secundam partem tenet Clarus, *Adulterium*, n. 9. Zoesius, in *Comment. ff. ad Leg. Jul. de adult.* Sanchez, lib. I, de *Matrim. disp. 2*, n. 8. Covarruvias, p. 1, de *Spons.*, cap. 1, n. 8, cum communiori contra Glossam, in c. *Quemadmodum*, 25, *Sponsam. de Jurejur.* Abbatem, in c. *Discretionem, de eo, qui cognovit*. Ratio est, quia adulterium est violatio thori alieni conjugalis; at verò per copulam cum sponsa de futuro non violatur thorus alterius, hoc ipso, quod ante matrimonium de presenti contractum sponsus non habeat jus ad thorum sponsæ. Accedit juris decisio l. *Inter*, 6, § 1, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.*, ubi expresse dicitur: Proprie adulterium in nupta committitur. Nupta autem nondum est sponsa de futuro, ergo.

7. *Solvitur objectio.* — Nec obstat l. *Si uxor*, 13, § *Divi*, ff. eod. ubi habetur: Etiam in sponso hoc idem vindicandum, quia nec

spem matrimonii violare permittitur, cum Concordantiis. Resp. enim, in præfatis, et similibus locis verba esse intelligenda de adulterio non proprie, sed large accepto: ob quod tamen, quia vera injuria illata est sponso jus ad sponsam ob præcedentia sponsalia habenti, datur eidem vera actio, l. *Etiam*, 15, §. *Sponsam quoque*, ff. de *Injuriis*.

8. *In lege divina antiqua adulterium sub pœna mortis, et quidem lapidationis fuit prohibitum.* — Quæritur II. Qualiter, et sub quibus pœnis prohibitum sit adulterium? Resp. I. Adulterium tanquam gravissimum crimen; et peccatum mortale jure divino et humano, eoque tam civili, quam ecclesiastico gravissime, gravissimisque pœnis est prohibitum. Nam jure divino Testamento pœna adulterii fuit mors; uti patet ex *Levit. cap. xx, v. 10*, ibi: Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriantur et mœchus, et adultera: idem habetur *Deuteron. cap. xxii, v. 22*, ibi: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, tam adulter, quam adultera, et auferes malum de Israel: Et quidem per lapidationem, prout constat *Joan.*, cap. viii, v. 5.

9. *De jure canonico pœna adulteri laici in adulterio persistentis, I. Est excommunicatio.* — Resp. II. Jure humano ecclesiastico diversæ pœnæ sunt statutæ contra adulterantes. Et quidem I. Laicorum in adulterio persistentium pœna est excommunicatio non tamen lata, sed ferendæ sententiæ, c. *Intelleximus*, 6, h. t. et ibi doctores.

10. *II. Pœna feminæ adulteræ est detrusio in arctum monasterium.* — II. Pœna feminæ adulteræ est detrusio in arctum monasterium ad agendam ibi pœnitentiam perpetuam, si maritus eam amplius recipere non vult, c. *Gaudeamus*, 19, de *Convers. conjug.*, quæ tamen pœna hodie non amplius est in usu, et relinquuntur laici criminaliter, et publice puniendi Curie sæculari.

11. *III. Pœna est divortium.* — III. Civilis tamen, et privata adulterorum pœna est divortium, seu separatio a thoro et cohabitatione, de qua late egimus lib. IV, tit. XIX. de *Divortis*. § 3, ubi vide.

12. *IV. Amissio dotis et donationis propter nuptias.* — IV. Pœna est amissio dotis in adultera, et amissio donationis propter nuptias in adultero, de qua pœna etiam late

egimus cit. lib. IV, tit. XX, § 3, a num. 95, ubi vide.

13. *Clerici adulteri pœna, quæ?* — Clericorum adulterorum pœna est, quod si quis de crimine adulterii confessus, vel convictus fuerit, ab officio et beneficio deponendus sit, et insuper in monasterium ad agendam pœnitentiam detrudendus, can. *Si quis*, 20, dist. 81, ibi: Si quis clericus adulterasse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio in monasterium toto vitæ suæ tempore detrudatur. Concordat can. *Romanus*, 11, ead. dist. ibi: Depositus a clericali ordine.

14. Quod si vero nec confessus, nec convictus, sed tantum suspectus et diffamatus sit de adulterio, purgatio canonica ei indicenda est, qua si deficit, ab officio suspenditur arg. c. *Significasti*, 5, h. t. et ibi doctores, atque Farinac. *Praxi criminali*, p. 5, q. 40.

15. Notat insuper Molina, loc. cit. Clarus, *Adulterium*, n. 7. Covarravias, in 4, p. 2, cap. VII, n. 17. Quod si clericus non accusetur de adulterio, aliquid de rigore remittere possit.

16. *De jure civili pœna adulterii etiam est mors.* — Resp. III. Jure civili primitus statuta erat pœna deportationis vel exilii, l. *Si quis*, 5, ff. de *Quæstion.* postea vero per Constantinum conformiter legi divinæ supra num. 8, citatæ, in adulteros decreta fuit pœna gladii, l. *Quamvis*, 30, § 1. C. ad *Leg. Jul. de Adulter.* quam pœnam in feminas et viros, sive simplex, sive duplex verum adulterium committentes indistincte confirmavit Carolus V in Constit. pœnal., art. 102.

17. *Quæ tamen pœna in plerisque provinciis ob adulterium prima vice non est in usu, sed alia: et quæ? Principes adulteria non punientes peccant.* — Notant tamen doctores, et docet experientia hic pœnam mortis ob adulterium simplex, imo etiam duplicatum saltem prima vice in plerisque provinciis non amplius infligi, sed loco illius adulteros prima vice puniri vel relegatione, seu exilio, vel fustigatione, vel statione ante fores templi cum candela accensæ per aliquos dies festivos, in quibus est major concursus populi, vel pœna pecuniaria, vel alia arbitraria. Clarus, § *Adulterium*, n. 7, ubi ad finem docet, quod adulteria his temporibus debite non puniantur; et addit: Ego semper fui in hac sententia, quod principes hujus temporis, qui hoc gravissimum crimen severissi-

mis legibus non coercent, illasque exequi non faciunt, gravissime peccent. Et judicio meo iste est unus ex casibus, in quibus Christiana respublica indigeret reformatione. Hæc Clarus, et merito.

18. *Adulterium conjugati cum soluta de jure civili non subjacet pœnæ ordinariæ: et quare?* — Notandum insuper tamen, quod, etsi de jure civili juxta dicta n. 3, etiam adulterium sit, si conjugatus cum soluta carnaliter commiscetur; tamen hæc carnalis commixtio ordinariæ pœnæ adulterii a jure civili statuta non subjaceat, eo quod, licet jus civile subjaceat correctioni juris canonici declarantis etiam copulam carnalem conjugati cum soluta esse adulterium contra tenorem l. *Inter liberos*, 6 § 1, ad *Leg. Jul. de adult.*, tam eidem juri quoad pœnas non præjudicet. Cæterum cur jus civile adulterium conjugati cum soluta pro adulterio minus proprio habeat, indeque minus puniat; Ratio est, quia hoc jus in adulterio principaliter respicit, et punit seminis commixtionem, et inde subsequentem proli legitimi hæredis incertitudinem, dum præter virum legitimum alienus sive conjugatus, sive solutus cum uxore carnaliter commiscetur; quæ incertitudo non sequitur, dum conjugatus cum soluta congregitur. E contra vero quia jus canonicum in adulterio principaliter attendit violationem thori et fidei conjugalis, quæ etiam in conjugato rem carnalem cum soluta habente contingit, horum congressum pro vero adulterio habet, et in suo foro punit.

19. *Pœna adulterii de jure Bavarico.* — Statuta Bavaricæ circa adulterium id ordinant, ut adulterium simplex juxta diversitatem personarum, et proportionem, ac quantitatem mediorum prima vice certa multa pecuniaria puniatur: Si vero duplex seu duplicatum est adulterium, quo videlicet conjugatus cum conjugata peccant, sistuntur delinquentes tribus diebus Dominicis luminaria ardentia, et virgas in brachiis denu-datis gestantes ante fores ecclesiæ in conspectum et exemplum populi. Secundo commissum adulterium punitur relegatione perpetua. Tertio recidivum pœna gladii, prout amplius videre est, lib. V, tit. IX, art. 1, 2, et seqq. (Chur-Bayrische Lands- und Policey Ordnung.)

20. *Olim pater impune occidere poterat adulterum cum filia in actu deprehensa.* — Resp. IV. Quamvis olim inter pœnas adulte-

rii fuerit, quod parens filiamfamilias in adulterio domi suæ generive deprehensam, eam una cum adultero occidere impune poterit, textu expresso l. *Patri*, 20, ff. ad *Leg. Jul. de adult.* ibi: Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet. et l. *Nec in ea*, 22, ff. eod. ibi: Jus occidendi patri conceditur domi suæ, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.

21. *Sicut maritus adulterum vilis conditionis cum uxore in actu deprehensa.* — Item quod maritus poterit occidere adulterum, non quidem quemlibet, sed vilis conditionis in ipso actu cum uxore sua domi suæ deprehensum, textu claro l. *Maritus*, 24, l. *Si adulterium*, 38, § 8, ff. eod. juncta l. 4, c. eod. Cujus utriusque ratio erat, quia in his casibus pater, et maritus publici ministri justitiæ censebantur constituti; vel potius quia etsi leges præfatæ hujusmodi homicidium tanquam licitum non approbarint, tamen a pœnis immunes fuerint intuitu justitiae doloris, quo ad occidendum poterant moveri, ut plures volunt theologi, arg. cit. l. *Si Adulterium*, 38, § 8, ff. ad *Leg. Jul. de adult.*

22. *Hodie tamen nihil horum licet.* — Nihilominus, quidquid fuerit de jure civili, hodie certum est, præfatas leges a jure canonico in tantum esse correctas, ut patri et marito memorato modo occidere in conscientia minime liceat, indeque cædes illorum pœnas veri homicidii saltem juris canonici secum trahat. can. *Inter hæc*, 6, et can. *Si quod verius*, 9, cau. 33, quæst. 2. Idque merito: Tam quia æquum non videtur, ut quis non auditas, et antequam de crimine legitime constet, condemnatur, et occidatur, contra l. fin. c. de *Malefic. et Mathem.* l. *Inauditum*, 2, ff. et *Leg. Cornel. de Sicar.* Tam quia semper periclitabatur salus æterna reorum, hoc ipso, quod in flagranti fuerint occisi.

23. *Adulteri pœnas non incurrit, qui illud vel non scienter.* — Resp. V. Ad hoc, ut quis adulterii pœnas ordinarias sive a civili, sive a canonico jure statutas incurrat, duo copulative requiruntur, videlicet primo dolus, seu malum propositum adulterandi; Secundo actualis copula carnalis. Hinc defectu primi a pœnis adulterii libera est, quæ ignara, nupsit viro alieno, ita tamen, ut illico adultera esse incipiat, quamprimum rescit, suum putativum, esse virum aliebum. can. *Si*

virgo, 5, cau. 34, quæst. 1. Item uxor, quæ vel per errorem ab alieno, quem suum putavit cognita, vel ab aliquo oppressa fuit, can. *Proposito*, 4, cau. 32, q. 5, can. *In lectum*, 6, cau. 35, q. 1, l. *Vim passa*, 39, ff. ad *Leg. Jul. de adult.*

24. *Vel non actualiter committit.* — Defectu secundi requisiti pœnas ordinarias adulterii evadit, qui solutam, quam uxoratam putat, carnaliter cognoscit; item qui pro committendo adulterio omnem conatum adhibet, et ad actum proximum devenit, eum tamen re ipsa nondum exerceat. Ratio est, tum quia adulterium non ex solo animi proposito, sed ex actu intelligatur, in ordine ad pœnas, l. *Fugitivus*, 225, ff. de *Verb. Signif.*, tum quia nullus propter solam opinionem, vel cogitationem, sed propter factum et delictum ipsum in foro externo punitur per vulgaria.

25. *Adulterium uxoris ante omnes criminaliter accusare potest maritus.* — Quæritur III. Quinam, et quando admittantur ad accusationem adulterii? Resp. I. Adulterium uxoris ante omnes etiam ante patrem accusare potest maritus, textu expresso l. *Ex lege*, 2, § *Si simul*, ff. ad *Leg. Jul. de adulter.*, ubi ratio subjungitur illis verbis: Nam et propensiore ira, et majore dolore executionum eum accusationem credendum est. Additur tamen in subsequenti l. 3, ff. eod. Limitatio ita sonans: Nisi pater maritum infamet aut arguat, aut doceat, colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare, postponetur marito.

26. *Et post ipsum pater adulteræ, et alii conjuncti.* — Resp. II. Post maritum accusare et agere vel nolentem, vel cessantem ad accusandum admittitur pater adulteræ, cit. l. 2 et 3, ff. ad *Leg. Jul. de adult.*, et post patrem reliqui cognati, scilicet frater, patruus, avunculus adulteræ, et alii, quos justus dolor præ aliis ob commissum crimen premit, l. *Quamvis*, 38, c. ad *Leg. Jul. de adult.*

27. *His deficientibus etiam quivis extraneus, dummodo mas, et major 25 annis sit.* — Resp. III. Negligentibus, vel cessantibus accusare propinquis etiam extranei admittuntur ad accusandum adulterium, l. *Maritus*, 13, § *Lex Julia*, 6, et l. 1, c. ad *Leg. Jul. de adult.* juncta l. *Palam*, 43, § *Senatus*, ff. de *Ritu Nupt.* cum Concordantiis. Non quidem jure mariti, l. *Si veritas*, 4, § 1, et l. *Jure*, 6, c. ad *Leg. Jul. de adult.*, sed jure